Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36534
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

[de]laratio voluntatis. cum ea que deus creaverat humani operis adiutorio letius feraciusque provenirent, unde creator ipse uberius laudaretur: qui anime in corpore animali constitute rationem dedisset operandi ac facultatem, quantum animo volenti satis esset. non quantum invitum indigentia corporis cogeret. Ut operaretur in quid? et custodiret illud. Custodiret videlicet eundem paradysum ipsi sibi, ne aliquid admitteret propter quod inde mereretur expelli. Denique accepit et preceptum, ut sit per quod sibi custodiat paradysum. id est quo servato non inde proiciatur. Recte enim quisque dicitur non custodisse rem suam, qui sic egit ut amitteret eam, etiamsi alteri salva sit, que eam vel invenit vel accipere meruit. Est alius in his verbis sensus, quem puto non inmerito preponendum, ut ipsum hominem operaretur deus et custodiret. Sicut enim homo operatur terram, non ut eam faciat esse terram, sed ut cultam atque fructuosam: sic deus hominem multo magis quem ipse creavit ut homo sit, eum ipse operatur ut iustus sit, et ut homo ab illo per superbiam non abscedat. Posuit ergo hominem in paradyso voluptatis. ut operaretur et custodiret illud. Operaretur scilicet ut bonus beatusque esset. Custodiret vero ut tutus esset ipsius scilicet dominationi ac protectioni humiliter subdendo. Precepit quoque ei dicens. Ex omni ligno paradysi comede: de ligno autem scientie boni et mali ne comedas. Non est credendum quod in ligno illo aliquid mali naturaliter inerat. sicut et superius docuimus, sed ab eo ligno quod malum non erat prohibitus est homo. ut ipsa per se precepti esset servatio bonum illi et transgressio malum. Denique a peccante nichil aliud appetitum est nisi non esse sub dominatione dei, quando illud admissum est in quo ne admitteretur sola deberet iussio dominantis attendi. Que si sola attenderetur, quid aliud quam dei voluntas amaretur: quid aliud quam dei voluntas [humane voluntati] preponeretur? Hec fieri potest ut voluntas propria non grandi ruine pondere super hominem cadat, si eam voluntati superioris extollendo preponat. Hoc expertus est homo contempnens preceptum dei, et hoc

Ixiii.